

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxx [i.e. ii]. substantia est ens per se.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

entia per se, & in ratione denominandi quid unum, concipienturque in ordine ad prædicationem per modum unius: debet item esse quid reale & totum, sive non exigens ordinari ad physicè componendum cum alio ens unum per se, qualia sunt caput, pes, oculus &c. facta per abscessionem talia tota: item genera; hæc enim, et si prædicentur incompletè, componanturq; metaphysicè, physicè tamen non componunt; immo, excepto summo genere, omnia respectu superiorum sunt species, adeoq; quid, etiam metaphysicè, cōpletum. Differentiæ verò à directa linea excludantur, non quod componant, sicutque metaphysicè quid incompletum, sed quod habent se per modum formæ determinantis, & quod nullo generi directè subjiciantur. Verum hæ conditiones magis ex arbitrio sic ordinantium, quam ex natura reitquiruntur.

II. Substantia, pro ut opponitur accidenti physico, est ens per se. Ens per se illud est, quod vel primariò à natura intenditur propter se, vel propter aliud primariò à natura intentum, à quo ipsum adæquate non distinguitur; sicut materia & unio

compositi substantialis intendantur propter compositum substantiale, primariò à natura intentum, à quo non distinguntur adæquate: imò & subsistentia, quæ intenditur propter compositum completum in ratione suppositi (qualiter intenditur primariò compositum à natura) à quo non distinguitur adæquate. Accidentia contra, etsi distinguuntur inadæquate formam ab eo, quòd constituunt, V. G. calor à calido, non sunt tamen substancialia, quia illud ipsum, quod constitutum, non intenditur primariò à natura: quamvis præterea non intendantur propriè propter concretum illud, quod constituunt, V. G. calor propter calidum, sicut forma ignis propter ignem; sed propter subjectum, quod supponit, & à quo adæquate distinguuntur, perficiendum, ut bene se habeat in ordine ad se, vel in ordine ad aliquam operationem.

III. Substantia prædicamentalis (quæ est ens per se completum finitum &c.) aitia est prima, quæ neque subjecto inha-
sionis inest, neque de subjecto aliquo, tan-
quam superius de inferiori, dicitur, sive
est